

# TRACTATUS VIGESIMUS NONUS

## DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

**H**eretici hoc sacramentum inepte derident; Calvinus enim *histrionicam hypocrisim* illud appellat: missis vero eorum derisionibus, justo deplorata dignis; ad illius naturam cum cæteris ad ipsum spectantibus exponendam, præsentem dicamus tractatum.

### CAPUT UNICUM.

#### De extrema unctione.

#### PUNCTUM I.

#### Definitio, & institutio extreme unctionis.

1. Inq. 1. Quis sit extrema unctio? R. Habere duplicem definitionem metaphysicam, & physicam. Metaphysica est, *sacramentum novæ legis institutum a Christo Domino ad abstergendas reliquas peccatorum confortando infirmum spe veniæ*. Physica est, *unctio hominis infirmi sub præscripta verborum forma*. Appellatur hoc sacramentum *unctio*, quia hæc est ejus materia proxima; *extrema* autem, vel quia confertur in extremo vitæ constitutus, vel quia est postrema omnium unctionum, quibus ungitur homo viator in Ecclesia. Nam prima unctio fit in baptismo, Secunda in confirmatione, tertia in ordine. Unde, etiam suppositis quibusdam unctionibus Regum, hæc est, & dicitur *extrema*.

2. Inq. 2. An extrema unctio sit sacramentum? R. affirm. Ita est de fide definitum in *Trid. sess. 14. cap. 1*. Ubi docetur esse vere, & proprie sacramentum institutum a Christo Domino, & a Jacobo Apostolo postea in sua canonica promulgatum. Et licet heretici inaniter garrant, Jacobum tribuere ejus effectum orationi Sacerdotum; pluresque requirere Sacerdotes extreme unctionis ministros: at falluntur, quia Apostolus requirit unctionem simul cum oratione. Hujus autem idæo specialiter meminit, quia est forma

ejusdem sacramenti. Nec requirit necessario plures Sacerdotes pro ministrando eodem sacramento, sed pro diversis. Vel quia ex pluribus aptis potest eligi unus: admodum quo Christus Luc. 17. v. 14. dixit leprosis: *ostendite vos Sacerdotibus*, esto sufficeret uni se ostendere. Non tamen contra valorem sacramenti est ministrari simul a pluribus, ut infra patebit.

3. Inq. 3. Quando fuerit institutum hoc sacramentum? R. Non constare certo de tempore institutionis. Probabilius putatur fuisse institutum post Resurrectionem; quia hoc sacramentum est completivum poenitentiae. Hæc autem instituta fuit complete post Resurrectionem. Joann. 20.

4. Inq. 4. An extrema unctio sit unum sacramentum? R. affirm. Quia licet habeat diversas unctiones, & formas, omnes tamen ad unam adequatam significationem ordinantur. Sicut ob eandem rationem unum adequatum sacramentum est Eucharistia, esto diversis formis, & materiis proximis componatur. Nec valet si obijcias, unum sacramentum ab uno ministro perfici debere; sed extrema unctio a pluribus perfici valet, saltem in necessitate, ergo non est unum sacramentum. R. Enim, quod pluralitas ministrorum non tollit unitatem sacramenti, quia tamquam instrumenta operantur; mutatio autem, vel pluralitas instrumentorum non officit unitati operationis agentis principalis, ut cernitur in pictore, qui pluribus penicillis eandem imaginem perficit.

#### PUNCTUM II.

#### De extrema unctionis materia.

5. Inq. 1. Quæ sit materia extreme unctionis? R. Habet duplicem materiam. Remotam videlicet, & proximam. Materia remota est *oleum olivarum ab Episcopo benedictum*. Materia proxima est *unctio infirmi in quibusdam partibus corporis*.

Hæc

Hæc unctio debet fieri sub forma crucis, esto non de necessitate sacramenti. Item debet applicari regulariter digito pollice Sacerdotis, nisi tempore pestis; tunc enim potest fieri media argentea, aut etiam lignea virga. Debet fieri sub gravi in quinque sensibus, seu organis quinque sensuum, & in eorum defectu in partibus proximioribus.

6. In casu valde urgenti sufficit unica unctio sub forma comprehendente omnes sensus: v. g. *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum*. Imo in tali casu sufficit unum tantum oculum ungere. Unctio renum omittitur ob honestatem, & modestiam, non solum in foeminis, sed, & in viris. Unctio pedum debet fieri, nisi ex consuetudine regionis omittatur. Debet autem fieri in parte pedum superiori; in manibus vero in parte interiori, nisi Sacerdotibus, quibus faciendâ est in parte exteriori, quia eorum interior manuum pars jam antea est immediate consecrata. Aliqui dicunt in casu urgenti posse ungi caput, & quo omnium sensuum nervi descendunt, sub prædicta forma generali. Verum hoc tantum est admittendum in casu adeo raro, ut solum vertex capitis appareret: secus enim saltem oculus, aut alius sensus modo dicto ungendus est. Vid. Bened. XIV. *syn. lib. 7. cap. 3. n. 5*.

7. Objic. Cæcus a nativitate numquam peccavit oculis, & idem est de aliis, qui auditu, aut alio sensu semper caruere, erg. in eis non verificatur forma hujus sacramenti, nec debet fieri unctio in parte proximiori tali organo. R. Verba formæ respectu talium esse conditionalia, quatenus eis deprecatur minister, quod Deus indulgeat, si quis forte saltem per desiderium in illo genere infirmus deliquit.

8. Inq. 2. An oleum infirmorum debeat esse benedictum præcisè ab Episcopo, vel sufficiat benedictio Sacerdotis inferioris? R. Ad valorem sacramenti sufficere, quod sit benedictum a Sacerdote, unctionem ministrante. Ita constat ex usu, & praxi Ecclesie orientalis, ubi ipsimet Sacerdotes benedicunt oleum ad ungendos infirmos. Igitur ad valorem sacramenti non requiritur necessario, quod sit benedictum ab Episcopo, sed quod sit benedictum ab

Episcopo, vel ab alio Sacerdote. Verum in Ecclesia latina semper invaluit praxis unguendi infirmos oleo ab Episcopo benedicto, atque ita sub gravi observari debet. Imo debet esse benedictum eodem anno, veteri combusto, ut præcipit Ecclesia, nisi necessitas excuset. Verum si oleo benedicto aliud non benedictum in minori quantitate miscetur, totum evadit benedictum; tamen, seclusa necessitate, graviter illicita esset talis mixtio. Unde ex præcepto in Ecclesia latina materia remota licita hujus sacramenti est oleum olivarum ab Episcopo eodem anno benedictum, seu consecratum simplex, hoc est absque mixtione alterius liquoris, tum ante, tum post consecrationem. Vid. Bened. XIV. in *Syn. lib. 8. cap. 1*.

#### PUNCTUM III.

#### De forma, & effectu extreme unctionis.

9. Inq. 1. Quæ sit forma hujus sacramenti? R. Sunt verba quibus dicitur: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per visum deliquisti*; & sic de aliis partibus. De essentia est exprimere partem, aut sensum, qui ungitur. Hæc autem forma exprimitur modo deprecativo, quia sic docet Jacobus Apostolus faciendum cap. 5. dicens: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*. Quidam asserunt validum fore sacramentum collatum sub hac forma: *ungo te oleo sancto*, ut per suam misericordiam indulgeat tibi Deus, *quidquid deliquisti per visum &c.* quod valde probabile censeo; salvatur enim in dictis verbis forma deprecatoria. At illicitum omnino est illa uti, quia incertum, aut dubium est illam esse validam.

10. Inq. 2. Quæ verba sint essentialia in forma hujus sacramenti? R. Illa verba esse essentialia, ex quorum defectu adest mutatio substantialis in sensu ejusdem formæ. Unde ad ejus essentiam omnino requiruntur sequentia verba: *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum*, aut ceteros sensus. Reliqua autem verba nempe *sanctam, &*

suam

suam piissimam misericordiam, licet sub gravi debeant exprimi, si aliquando omitantur, valet sacramentum.

11. Inq. 3. Quis sit effectus hujus sacramenti? R. Est gratia sanctificans afferens jus ad auxilia, quibus infirmus muniatur contra tentationes inimici, & ægritudinis molestias. Hic est primarius effectus. Alius est mundare animam a peccatorum reliquiis, hoc est, a tepore ad bona opera, & etiam a penis peccato debitis juxta recipientis dispositionem. Pariter confortare infirmum ad exercitium patientiæ, resignationis, spei, & fiduciæ in Deum; & ad repellendum timorem noxium, quo moribundi sæpe anguntur. Alius effectus est communis sacramentis vivorum, nempe remittere peccata venialia, & etiam per accidens mortalia, dum infirmus absque obice bona fide illud suscipit. Alius denique effectus secundarius hujus sacramenti est salus corporis, si ita ad bonum animæ expediat. Non quidem per miraculum, sed quadam virtute supernaturali, esto ordinario modo, causas naturales adjuvante.

12. Inq. 4. An remittere peccata venialia sit primarius effectus hujus sacramenti? R. neg. Quia nullum est sacramentum primario institutum ad remittenda peccata venialia. Unde cum in ejus forma postulatur a Deo, ut indulgeat infirmo, quidquid per sensus deliquit, non petitur primario remissio peccati, sed remissio ejus reliquiarum, ut sunt debilitas, tepor, angustia, ac tepor animæ, & pavor animi; hæ enim inter alia dicuntur reliquæ peccatorum, quæ eo magis molestant infirmum, quo plus appropinquat ad hujus vitæ exitum. Petitur ergo primario subsidium & levamen infirmi spirituale; & si expediat, etiam corporale. Ex consequenti vero petitur remissio peccatorum, si quæ adhuc gravent infirmum, quare dixit Jacobus: *& si in peccatis sit, remittentur ei.* Unde patet, quod effectus primarius hujus sacramenti non est remissio peccati, sed reliquiarum peccati per gratiam sanctificantem, & auxilia, quibus illæ absteruntur; licet per accidens non semel causet etiam remissionem peccatorum, ut conformiter ad doctrinam Jacobi tradit D. Thom. in *Suppl. q. 30. a. 1.*

Reliquæ enim peccatorum sunt debilitas, tepor, angustia, ac pavor animi, quæ eo magis molestant infirmum, quo plus appropinquat ad hujus vitæ exitum.

## PUNCTUM IV.

## De ministro extreme unctionis.

13. Inq. 1. Quis sit minister extreme unctionis? R. Ad licitum esse Parochum, vel quemlibet Sacerdotem ex ejus licentia: quia ejus ministratio est actus jurisdictionis pertinens ad munus Pastoris. Igitur solus Pastor, vel alius ex ejus consensu, aut defectu potest licite ministrare hoc sacramentum. At ad validum omnis Presbyter est ejus minister, ut constat ex loco laudato S. Jacobi. Imo quilibet Sacerdos degradatus, seu excommunicatus sufficit ad validum, ut communiter docent Theologi; quia licet sit actus jurisdictionis, hæc ad valorem sacramenti non requiruntur, ut liquet in Sacerdote simplici, sine licentia Parochi illud ministrante. Sufficit licentia Parochi rationabiliter præsumpta, ut licite ministretur, ut si ille absit, vel commode non possit, vel ex alia causa justa probabiliter eidem grata.

14. Clementin. 1. de *privileg.* imponitur excommunicatio major Pontifici reservata religiosis exemptis, qui sine licentia Parochi extremam unctionem sæcularibus administrant. Quod non intelligitur, absente Parocho, & necessitate urgente, sed quando pro libito sine consensu Parochi ad illam ministrandam se intromittunt. Profecto insanum, aut nimis stultum putarem regularem, qui dictam censuram incurreret; sicut illum, qui peccaret circa objectum, quod aliqua utilitate, aut delectatione non allicit, sed potius sui horrore, & displicentia retrahit. Regulares hoc, & alia sacramenta libere ministrare valent suis famulis domesticis, & continuis commensalibus; non vero advenis, qui in eorum conventibus infirmantur, ex declarat. *sac. Congr. Concil. 27. Sept. 1670.*

15. Inq. 2. An plures Sacerdotes possint simul ministrare hoc Sacramentum? R. Posse valide, dummodo quisque præferat formam correspondentem sensui, quem ungit. Peccarent tamen gravissime, nisi in casu urgenti, sic ministrando; quia in Ecclesia latina, seclusa necessitate, ab uno solo ministro debet perfici sacramentum, ut in rituali præscribitur. Laudabile

ta-

## PUNCTUM V.

## De subjecto extreme unctionis, &amp; de obligatione illam recipiendi.

tamen foret, quod, dum unctio ministratur, assisterent plures Sacerdotes, vel viri probi, ut sua oratione ad pleniorum effectum sacramenti adjuvarent. Sic fit regulariter in monasteriis, in quibus tota communitas ad hunc piissimum finem in cella infirmi, vel prope eam devote congregatur. In Ecclesia græca septem Sacerdotes, vel saltem tres ad hoc sacramentum ministrandum conveniunt; debent tamen singuli pronuntiare formam respondentem unctio, quam peragunt. Vid. Bened. XIV. *ubi sup. lib. 8. c. 4. n. 4.*

16. Inq. 3. An Parochus teneatur ministrare suis ovibus hoc sacramentum? R. Teneri sub gravi ex justitia, etiam illis, quia alia sacramenta receperunt: quia debent ministrare eis, non solum necessaria, sed etiam valde utilia sacramenta. Unde ad id tenetur, etiam tempore pestis, adhibitis præcautionibus, & antidotis opportunis. Nec valet fugere, etiam relinquendo alium Sacerdotem, qui suppleat; alias non pastor, sed mercenarius proderetur. Idem est, si peste infecti, etiam receptis aliis sacramentis, hoc petant. Verum, si illud petant, & Parochus necessarius est pro aliis sacramentis cæteris infectis ministrandis, non tenetur cum periculo vitæ illud eis ministrare. Tunc enim cum præcautiones non sufficiant, & aliunde cæterorum animæ periclitentur, utilitas communis particulari præferenda est. Sacerdos non Parochus ex caritate tenetur hoc sacramentum ministrare in defectu Parochi. In omni autem illud ministrante, exigitur status gratiæ, prout dictum de administratione sacramentorum, quæ postulant ministrum ordinis.

17. Inq. 4. Quæ observare debeat minister hujus sacramenti? R. Debere observare cæremonias consuetas, & recitare omnia præscripta in rituali. Verum si necessitas urgeat, potest illud ministrare sine ministro, omissis etiam precibus antecedentibus, quando adest periculum, vel quod infirmus illico decedat, vel quod ex detentione ministro contagium imminet.

18. Inq. 2. Quis sit subjectum capax extreme unctionis? R. Est homo viator, baptizatus, & adultus, qui periculose infirmatur. Non enim potest ministrari omnibus in articulo moris constitutis, ut sunt belligerantes, navigantes, sententia capitis multati, & similes, sed illis, quibus ex morbo imminet mors juxta iudicium peritorum. Nec ministrari debet omni infirmo, graviter ærotanti, sed illis, qui probabiliter in mortis periculo sunt constituti. Ideo enim appellatur oleum infirmorum, seu exeuntium. At non est expectandum, quod infirmus sit in extremo agone, aut jam sensibus desitutus, ut olim fiebat alicubi ex errore, quod, si quis, suscepta extrema unctio, convalesceret, non posset amplius nubere, nec uti copula conjugali, nec carnes edere, nec discalceatas incedere. Hi errores penitus jam in fumum abiit, ut par erat; ideo ministrari debet hoc sacramentum, dum infirmus valeat illud devote, & reverenter recipere, ut sic ejus effectus plenius possit obtineri. Apud Græcos etiam sanis ministratur extrema unctio, ut quadam cæremonia sacra, ait Benedic. XIV. in *Synod. lib. 8. c. 5. num. 5.* Subjectum pro hoc sacramento recipiendo debet esse in gratia, quia est sacramentum vivorum.

19. Inq. 2. Unde proveniant fideles alia sacramenta lætenter recipere, ad hujus vero nuntium tremere, & formidare? Respondet Concina in præsentia, hoc non aliunde provenire, nisi ex *Parochorum negligentia, atque socordia.* Sed vere falsum, dum Parochus sic de more solita libertate objurgat. Quia licet Parochi debeant exponere ovibus utilitatem hujus sacramenti, aliunde provenit timor illud recipiendi, Omnes fideles credunt ejus utilitatem, & tamen tremunt. Viri docti illam penitus sciunt, & adhuc timent, quod ipsis etiam Parochis forte accidit. Ergo non provenit solum ex socordia Parochorum talis timor.

20. Provenit igitur principaliter ex eo, quod

quod nolumus exspoliari, sed super indui. Provenit ex eo, quod est oleum exequium; ex eo, quod est unctio postrema, & ultimum remedium, quo Ecclesia juvat fideles. Propinquitas mortis naturaliter contristat. *Omnium enim terribilium terribilior est mors.* Unde, cum noscant fideles nuntium extremæ unctionis esse nuntium propinquæ mortis, contristantur, timent, & formidant naturaliter. Ea vera causa, inter alias, differentie, quin socordia Parochorum adeo vocitur. Suscipere lætenter nuntium mortis non est opus nature, sed gratie; imo gratie valde specialis. Nec est negotium principale libenter mori, sed bene mori.

21. Perhibeat testimonium huic veritati pavor animæ S. Hilarionis, quæ post septuaginta annos, in quibus Christo servivit, adhuc timebat e corpore egredi. Præbeat etiam mors illius venerabilis Dominicanici Thauleri, adeo pavida, ut pavidos de sua salute adstantes relinqueret. Ego met ipse fateor, me trepidare illam ultimam horam, & quo plus eam vicinam considero, tanto amplius pertimesco. Quis non timebit illud Apost. ad Heb. 9. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc iudicium?* Quis non trepidabit jam proximum illud momentum, a quo aternitas?

22. Ex dictis inferitur 1. Infantes, & perpetuo amentes non esse capaces huius sacramenti: quia nullam reliquam peccatorum abstergendam habent. Illis vero, qui aliquando fuerunt compotes usus rationis, ministrari debet, nisi constet, illum in actuali peccato amisisse. Illis pariter, qui sensibus repente destituuntur, ministrandum est, nisi, ut diximus, in peccato actuali essent sensibus privati. In eodem periculo semel tantum est ministrandum. Verum, si in longa infirmate dubitetur, an ex primo periculo conva-

luerit, & in aliud incidit, potest quam optime iterari. Pariter in dubio, an quis jam mortuus sit, vel adhuc vivat, ministrari debet sub conditione: quia licet sacramenta non sint instituta pro mortuis, quoad dubitetur, an vivat, subveniendum est proximo omni modo possibili. Pueris etiam, de quibus dubitatur usus rationis, ministrari debet sub eadem conditione.

23. Inferitur 2. beatiss. Virg. non recipisse hoc sacramentum; tum quia cum sit completivum poenitentiae, & hanc non receperit sanctissima Virgo, neque ejus completivum suscepisse asseri valet: Tum quia ejus purissima anima non indigebat effectibus extremæ unctionis. Tum quia non constat beat. Virg. mortuam fuisse ex infirmitate; sed potius piissime creditur, in altissima contemplatione, ac extasi elevatam ex impetu, & incendio amoris divini suam sanctissimam animam ex hac mortali vita dulciter transisse ad celestia regna. Quis hoc dubitare valet?

24. Inq. 3. An detur obligatio gravis hoc sacramentum recipiendi? R. Sententiam communem, etiam inter Discipulos D. Thomæ, negare: quia hoc sacramentum, licet sit valde utile, non tamen est necessarium. Nemo autem saltem sub gravi tenetur adhibere media non necessaria ad salutem. Ideo, receptis aliis sacramentis, ac secluso scandalo, & contemptu, non obligat sub gravi ejus receptio; quidquid consuetis proclamationibus quidam de more falsam appellet communem sententiam, quin ad id promat sufficiens fundamentum. Aliud est, quod infirmus illud sponte omittens graviter peccaret, quia vix potest omitti voluntarie sine scandalo, & contemptu interpretativo: his tamen seclusis, hoc sacramentum non est de necessitate salutis, ut ait D. Th. in *Supplem. q. 29. a. 3. ad. 1.*

## TRACTATUS TRIGESIMUS

### DE SACRAMENTO ORDINIS.

**N**Omen ordinis generaliter accipi solet pro partium dispositione, aut pro statuum diversitate. Verum in præsentis tractatu solum accipitur pro quodam gradu ecclesiasticæ Hierarchiæ, & pro sexto novæ legis sacramento.

#### CAPUT I.

##### De sacramento ordinis in communi.

#### PUNCTUM I.

##### De prima tonsura.

1. Inq. 1. Quid sit prima tonsura? R. Est dispositio ad ordines recipiendos. Ipsa non est ordo, sed dispositio ad ordines. Unde verba prolata ab Episcopo, & actus tendendi capitis non sunt proprie materia, & forma tonsuræ, sed ceremoniæ præscriptæ ab Ecclesia; sicut etiam candidatum induere superpelliceo. Sic autem appellari illam vestem dicunt aliqui fortasse, quia antiquitus imponebatur pellibus, quibus prisci vestiri consueverunt. Hujusmodi actionibus denotatur in primis tonsuratum mutare statum, discernique a cæteris sæcularibus.

2. Deinde capillorum rescissio indicat, eum debere rescere humanas appetitiones cum omnibus pompis, faustibus, & curis terrenis, ut ab his segregatus valeat in statu clericali Deo servire, & se disporre melius ad ordines recipiendos. Quod significat ipsa vox græca clericus, idest sors, innuens tonsuratum esse dicatum divino cultui absque alia sorte, aut hereditate præter Deum. Insuper tonsuratio capillorum in figura circulari significat, vel coronam Christi spineam, vel status clericalis perfectionem, vel dignitatem regalis Sacerdotii, ad quam disponit tonsura; Dicitur autem prima tonsura, quia præcedit alias, quæ in susceptione ordinum fiunt, ampliando in quolibet ordine capitis coronam.

Thom. II.

3. Inq. 2. Quomodo disponat ad ordines prima tonsura? R. Tripliciter disponere. 1. Per status mutationem; quatenus tonsuram recipiens, transit a statu sæculari ad clericalem, & appropinquat ordinum dignitati. 2. Per majorem instructionem circa res ecclesiasticas: tonsuratus enim, assistens proximis altari, functionibusque ecclesiasticis, disponit ut eas aptius congruo tempore peragendas. 3. Per vitam honestiorem, quam tonsuratus profiteri incipit, animo peculiariter se Deo mancipandi. Qua ratione tonsura merito dicitur se habere ad ordines, sicut novitatus ad professionem. In Jure canonico tonsuratus appellatur *Psalmista*, quia ejus officium est canere Psalmos in choro, vel Ecclesia. Unde Episcopus jubet illi recitare septem Psalmos poenitentiales; ad illos tamen juxta plures non tenetur sub gravi.

4. Inq. 3. Quem finem, seu animum habere debeat tonsuram accipiens? R. Finem ejus unicum, vel saltem principalem debere esse perfectius Deo servire in statu clericali. Si quis illam recipere ex fine, aut animo obtinendi beneficium, vel declinandi forum sæculare, vel deserendi statum clericalem, valida, sed graviter illicita esset ejus tonsura. Nam aliud est tonsuratum deserere suum statum ex aliqua causa, vel etiam mutare animum decursu temporis; aliud accipere statum cum tali animo, in quo nequit non adesse fictio gravis. Unde Trident. *sess. 23. cap. 4. de reform.* severe prohibet prima tonsura initiari illos, qui sacramentum confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciunt, & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis iudicis fugiendi fraude, sed, ut Deo fidelem cultum præsentent, hoc vitæ genus elegerisse. Unde, qui confirmatus non est, aut ignorat rudimenta fidei, vel nescit legere, & scribere, aut non accedit animo Deo serviendi, valide, sed illicite, & probabiliter graviter accipit tonsuram: quod de ordinibus mi-

Aa

no